

liberos habent. Validiùs itaque ab effectu procreato ad causam procreantem disputatur: ut, liberi existunt. Ergò è mare & fœminâ existunt. Si verò necessaria est procreantis & procreati connexio, utrinque æquè validè disputatur: ut, quia fides & Spiritus sanctus regenerans necessariò connexa sunt, ab utroq; ad alterum rectè disferitur: ut Spiritus sanctus regit Davidem. Credit igitur: & vicissim, Credit. Spiritu sancto igitur regitur. Sol ortus est. Dies igitur: &, Dies est. Sol igitur ortus.

Cap. 4. Fallacia argumentorum dis-
sentaneorum.

Fallacia dissentaneorum juxta singulas illorum species sic habet:

Fallacia di-
verforum.

I. Fallacia diverforum est:

1. *Cùm pro diversis ponuntur, quæ sunt prorsus eadem:* ut, si quis dicat, hunc esse jurisconsultum, & tamen non esse æquitatis consultum; hunc esse physicum, & tamen non esse naturæ consultum. 2. *Cùm pro diversis ponuntur quæ sunt opposita:* ut, si quis dicat sanitatem & morbum esse diversa. 3. *Cùm diversa habentur pro oppositis:* ut, Ennius fuit fidei plenus. Ergò non fuit dives. Hæc consequentia nulla est: quia dissenso diverforum est levissima. Non enim infectâ & insitâ naturâ, sed tantùm ratione alicujus subjecti, putà personæ vel rei incidentis, dissentiant. Quapropter quamvis simul non sint, esse tamen possunt: ut, forma & facundia ratione Ulyssis, in quo simul non fuerunt, considerantur ut dissentanea tantùm; ratione autem Demosthenis vel Periclis (fuerunt enim illi & disertis & formosi) inter se quidem dissentiant, sed in subjecto consentiant. Talis elenchus est, cùm aulicus negatur esse pius.

Fallacia op-
positorum.

II. Fallacia oppositorum in genere est:

1. *Cùm pro oppositis ponuntur quæ non sunt opposita, sed vel consentanea, vel diversa, vel subordinata:* ut, cùm doctus & improbus, formosa & pudica dicuntur opposita, quæ sunt diversa. Sic, si quis dicat, philosopho aut theologo non convenire esse oratorem, opposita dicit, quæ sunt
consen-